✠

VENERABILI FRATRI THOMÆ JOSEPHO Archiepiſcopo Epiſcopo Carthaginenſi.

BENEDICTVS PP. XIII.

VEnerabilis Frater ſalutem, &c. Etſi graviter affecti ſumus ex pravis opinionibus, quas, licèt ſæpe rejectas atque proſcriptas, Regulares tamen nonnulli poſt confirmata à Nobis privilegia Fratrum Prædicatorum & Minorum uſurpare in Confeſsionibus Secularium excipiendis & renovare nituntur: mirificè tamen gaviſi ſumus, quod Fraternitatis tuæ vigilantia pro avertendis animarum periculis, & vindicando Sacrorum Canonum & Apoſtolicarum Conſtitutionum cultu excubare non deſinat. Tuæ igitur paſtorali ſollicitudini meritas laudes deferentès, noſtræ auctoritatis & declarationis officium, quod imploras, ad amputandos novitatis prætextus, libenter impendimus; ac Fraternitati tuæ cæteriſque omnibus, quorum intereſt, certum exploratumque eſſe volumus, & quod alias Regularibus in Provinciis Hiſpaniarum conſtitutis per Venerabilem Fratrem Archiepiſcopum Rhodienſem noſtrum, atque hujus Sanctæ Sedis Nuncium denunciatum declaratumque eſſe curavimus, iterum per haſce noſtras in forma Brevis literas edicimus & declaramus, Nos Apoſtolicæ Conſtitutionis, quæ incipit: *Apoſtolici miniſterii*: ab Anteceſſore Noſtro fel. rec. Innocentio XIII. editæ, & à Nobis confirmatæ, omnimodam obſervantiam velle & mandare; ac per Bullas, quarum altera incipit: *Pretioſus*: altera: *Summe decet*: per quas Conſtitutiones & privilegia Ordinibus Fratrum Prædicatorum & Minorum confirmantur, nihil eſſe derogatum antedictæ Conſtitutioni: *Apoſtolici miniſterii*: ſed eam in ſuo robore perinde ac antea permanere. Illud præterea notum omnibus & compertum eſſe volumus per memoratas privilegiorum confirmatio-

matio-

mationes, nihil esse detractum auctoritati ac robori nostrarum Constitutionum, quarum alteram incipientem *In supremo militantis Ecclesiæ* Anno 1724. alteram, cujus initium: *Pastoralis officii* Anno 1726. edidimus & promulgavimus; ita ut nullo quæsito prætextu ex confirmatis privilegiis, aut eorum communicatione cum quovis Regulari Ordine, eludi, aut infirmari possint. Tua igitur sapientia universæque fraternitatis zelo, Regularium vero obedientia & observantia freti, *nullas Tibi quidem aliisque Venerabilibus Fratribus Hispaniarum Episcopis locorumque ordinariis,* novas in posterum hac de re molestias, Nobis vero graviores adhibendi remedii curas allatum iri confidimus. Ac Tibi, Venerabilis Frater, Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ, &c. Die 21. Septembris 1729. Pontificatus nostri anno sexto.

C. Archiepiscopus Emissenus.

Concordat cum originali, in cujus fidem subscripsi, & signavi Romæ hac die 24. Septembris 1729.

In testimonium ✠ veritatis.

Joseph Ignatius Romanus,
Notus. Aplicus.

Concuerda con el trasumpto original, de que doy fee.